DE VARIOLIS MODIFICATIS VACCINÆ SUBSEQUENTIBUS DISQUISITIO…

Antonio Speranza



4

DE

VARIOLIS MODIFICATIS VACCINAE SUBSEQUENTIBUS DISQUISITIO

PUBLICE HABITA

IN AULA MAGNA C. R. UNIVERSIT. PATAVINAE

PRO SUMMIS

LAUREAE MEDICAE ET CHIRURGICAE

HONORIBUS RITE CAPIENDIS

AB

ANTONIO SPERANZA

MANTUANO

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXVIII.

LAURENTIO

FRATRI DULCISSIMO

AMANTISSIMUS FRATER

D. D. D.

DE

VARIOLIS MODIFICATIS

VACCINÆ SUBSEQUENTIBUS

DISQUISITIO

Contra inventum illud, cujus ope humana soboles sese, Deo favente, tantis aerumnis liberavit, inter patriae ipsius fines pertinacissimi hostes oppugnavere, ita ut dicendum reapse sit, non hominibus tantum, sed rebus etiam optimis ab iisdem peractis saepius propriam adversari terram.

Recens vaccinae historia omnibus innotescit, nec ejusdem fata hic referam, eruditi hominis quasi officium sumens coram vobis, Patres sapientissimi, quibus universa doctrina exornatis, illud tantum de Jenneriano inventu exponere audeam, quod meam in clinicis lucubrationes amorem atque studium patefaciat.

Examinandum ergo breviter mihi propono.

Primo loco: quaenam sint variolae, quae *modificatae* vel *mitigatae* nuncupantur, et quinam iisdem infestentur.

Secundo loco: utrum haec variolarum species aut varietas post detectam vaccinam solummodo clinicis plane innotescat.

Tertio demum: quid circa observationes atque experimenta jam ab aliquibus prolata de variolis vaccinae subsequentibus censendum, quidque pro futuris optandum.

Quoad primum. Doctor Adolphus Fridericus Luders, qui in suo *Specimine historico-critico de variolis naturalibus vaccinae insequentibus* multas ex aliis observationes collegit suasque exponit, asserit, exanthema variolarum formam exhibens post vaccinae insitionem quandoque ocyus, quandoque serius visum sequentes proferre generales ac pathognomonicos characteres; adest nempe omnimoda eruptionis irregularitas, quae eruptio praesertim, nulla servata lege, uti in variolis naturalibus solet, acervatim apparet; nulla datur perfecta pustularum vel vesicularum suppuratio; deest febris, quam secundariam medici dicunt; ad exsiccationis periodum multo citius, quam in regularibus variolis accidit, aegrotus pervenit, pustulae vel vesiculae quocunque sub adspectu obortae vario tempore, varioque modo propriam attingunt maturitatem; omnium denique symptomatum cursus certa quadam anomalia persolvitur; ita ut quamvis morbus primis diebus aliqua

vice gravibus stipetur phaenomenis, feliciter tamen, et quasi dicam inopinanter, solvitur.

Exanthema, quod tali pacto a veris variolis differt, *mitigatae variolae* nomine ab aliquibus donatur, illa opinione fretis, novam quamdam variolarum speciem ab ipso constitutam esse propriis subjectam legibus, propriisque signis praeditam. Nonnulli praeterea hanc exanthematis formam *varioloidem* appellant, quasi nova ejusdem, sicuti opinantur, facies novo indigeret vocabulo (1). Illi porro qui de *mitigatis* vel *modificatis variolis* verba faciant, in hoc inter se consentiunt iisdem subjectos esse posse, qui contagii vim variolarum atque vaccinae uno eodemque tempora persentiunt; qoique vero variolas naturales sponte aut insitionis ope alias passi sunt, vel jam omnibus vaccinae periodis jampridem superatis, denuo

(1) Les Anglais, dissidents de Jenner, ont introduit celui de *varioloïde*, et vîte, leurs imitateurs du continent s'en sont emparés, sans avoir réfléchi que ce mot veut dire *identique à la variole ou à la petite vérole*, et qu'il est superflu, si l'on veut parler de cette maladie; inutile et mal appliqué, si l'on veut désigner un autre exanthême qui aurait avec celle-ci quelque ressemblance, puisque déjà ces exanthêmes ont depuis des siècles des noms reçus, qui les caractérisent et qui les distinguent. F. E. Foderé, Mémoire sur la petite vérole vraie et fausse, et sur la vaccine. Strasbourg 1826, pag. 1.

per inoculationem, vel aliter variolarum contagione percutiuntur.

Sed extra omnem dubitationis aleam non est quidquid de hoc argumento plerique scripserunt. Imo, ni fallor, omnibus rite perpensis, in eam devenire oportet sententiam, variolae modificatae historiam nil novi clinicis praebere, ast potius tantummodo antiqui morbi manifestissima exempla offerre: quod nunc probare conabor.

Ante omnia, quaeso, ad mentem revocate illas varicellae descriptiones, quas in arte magistri nobis exhibuerunt, quum nondum medicina summo frueb atur vaccinae beneficio, et statim an inter mitigatas variolas nostris hisce temporibus, ac inter illas, quas *variolas spurias, variolas pusillas*, vel deuique *varicellas* clinici jamdiu appellarunt, aliquod revera habeatur discrimen, an non, summopere dubitandum palam erit.

Celebris Gailielmus Heberden, qui primus in Anglia varicellae symptomata diligentissime notavit, ita loquitur. »Variolae pusillae in quibusdam oriuntur sine febre, aut ullo signo antecedente; in aliis fit levis horror, lassitudo, vigilia, dolores vagi, fastidium cibi et quaedam febricula; rarius dolor dorsi, lumborumve, aut vomitus. Pustulae primae fere conspi-

eiuntur in dorso. In eodem aegro variae sunt magnitudinis: pleraeque habent eamdem, ac variolae verae, quibus initio prorsus similes sunt, nonnullae his minores sunt....

Principio rubrae sunt; postridie in plerarumque apicibus exigua vesicula est, ad mihi seminis magnitudinem, plena humore modo aquae simili, modo flavo, qui continetur inter cuticulam et cutem veram. In quibusdam pustulis plus humoris subest, qui interdum flavescit, et pus refert, adeo ut secundo, vel certe tertio die ab exitu pustularum, hae variolae videantur ad maturitatem pervenisse, et quae humore flavo maxime turgent, prorsus tales sunt, quales verae variolae die quinto vel sexto. Saepe fit, ut eodem die, quo nata est haec vesicula, vel postridie, tenuis ejus cuticula rumpatur, partim vestium attrita, partim scabendo (nam pruritus fere est), et crusta levis succedat: reliqua autem pars pustulae subsidit, et nunquam, sicut in veris variolis, in pus mutatur. Proinde quinto pustularum die crusta tenuis pleraque ex his pustulis occupat. Pauceae quaedam non ruptae humorem suum spissescere, et exarescere sinunt. Cum vero hic humor non, quemadmodum in veris variolis, ex cute ipsa suppurata oriatur, sed, ut credibile est, ex vasis cutis serosis inter cuticulam cutemque

effundatur; itaque non mirum est, si vel secundo die appareat, vel, rupta cuticula, tam cito in crustam desinat. Tum vero cicatrices nullae relinqui possunt, cum cutis ipsa non afficitur, nisi forte in una aut altera pustula, in quibus humor acrior factus ulcusculum excitaverit...

Hic morbus mihi videtur prorsus alius a variolis veris. Qui variolas passi sunt, huic tamen opportuni sunt: qui autem semel experti sunt hunc morbum, ab ejus contagione in posterum securi sunt: quamquam ab inexpertis facillime contrahatur....

Verae variolae, cum pauceae sunt, et distinctae, quales semper mihi visae sunt variolae pusillae, ab his discerni possunt tribus potissimum conditionibus. Nam primo, verae numquam ante quartum diem exeunt: deinde, in earum apicibus nullus humor est secundo, tertiove die: nec denique crustae sunt quinto ».

Heberden anno millesimo septingentesimo septuagesimo sexto cum Collegio medico Edimburgensi has suas observationes communicabat, addendo exanthema illud cum spuriis variolis omnino convenire, sed tantum ejusdem symptomata graviora esse: ex quo manifeste apparet, quod varicella etiam quinquaginta et ultra abhinc annis visa fuit veris variolis quam maxime accedere posse. Indeque tunc de rei-

teratis variolis quaestio quandoque habebatur, et contra insitionem variolarum quidam certabant, non secus ab illis qui nunc vaccinae potentiam in dubium vocant, et pro *varioloidis* existentia contendunt (1).

Hujusmodi observationes et distinctiones, ait Foderé, circa exanthemata variolis similia, et pro variolis veris ab aliquibus habita, antequam vaccina nobis innotesceret factae fuere; ast hac nostra aetate sunt qui, quasi eas ignorarent, vel obliti essent, vaccinam accusant tamquam novi morbi causam, et nova verba excogitant ut medicinae incrementis, totis quibus pollent viribus, provideant (2).

(1) Illustris quidam Medicus, qui Mantuae est, de variolis secundariis sapienter disserendo, perbene dixit: » Contra il vaccino si trattarono quelle armi medesime che si erano adoperate a combattere la inoculazione, vie maggiormente quando alla vaccinazione qualche volta si vide succedere il vajuolo. Ma a quel modo che si erano poste diverse spezie di vajuolo falso, così avvenendo che un vaccinato cadesse nel vajuolo, codesto non doveva essere che il falso, al quale essenzialmente differisce dal vero, e che per succedere al vaccino alcuni chiamarono col titolo speoioso di *varioloide*, già venuto dalla China e dalle Indie, cred'io, per non altra strada che per quella di loro medesima immaginazione.

Mantova 1827.

(2) Ces observations et ces distinctions ont été faites bien long-temps avant qu'il fut question de la vaccine, mais ignorées ou oubliées, on a mis sur le compte de celle-ci, pour

Magnopere praeterea interest advertere, tantam esse rei ambiguitatem, ac tantam quorumdam medicorum praepostere dijudicandi sollicitudinem, ut complures non solum varicellam, de qua loquuti sumus, sed etiam variolas veras epidemice grassantes novum morbi genus, *varioloides* formam et indolem habens, esse praedicent.

Sinite ut contra errorem tam magni faciendum iisdem verbis utar, quibus utebatur quoddam Diarium Italicum, sententiam clarissimi Moulin et Guibert, qui medicinam summa cum laude Lutetiae Parisiorum faciunt, referendo.

„Un' opinione che a nostro credere riesce dannosissima alla pratica della vaccinazione ed alla piena fiducia che questa debbe inspirare, si è, che ci abbia differenza tra il vajuolo osservato prima della scoperta del vaccino, e l'epidemia ora serpeggiante (nempe anno 1825). A questa vollero taluni bizzarramente dare il nome di *varioloide*. Tale supposizione dando a credere che il vaccino preservi bensì dal vajuolo, ma non dalla varietà denominata *varioloide*, allontanò dall' operazione preservativa coloro, che nutrono contro il vaccino una non

en diminuer le mérite les maladies qui en ont été le sujet; l'on a créé des mots nouveaux, *varioloïde*, *petite vérole après vaccine*, et l'on a cru avoir perfectionné la science.

per anco saperata avversione, e lo guardano con indifferenza; e ritardò perciò la propagazione di questo metodo salutare.

Le osservazioni che noi abbiamo scrupolosamente raccolte nel decimo distretto di questa capitale su di un gran numero d' individui, e le ricerche da noi fatte dei più minuti sintomi ci dimostrano chiaramente, che la distinzione tra il vajuolo e *varioloide* è affatto immaginaria ed erronea, e che l'andamento, la durata, la terminazione ed i sintomi tutti dell' epidemia vajuolosa che ora serpeggia e fa vittima fra quelli che non se ne preservarono col vaccino, sono perfettamente gli stessi che nei tempi addietro furono osservati nel vero vajuolo. Che se si nota talvolta differenza di gradazione, questa non è nuova, nè importante, come quella che si osservò sempre dipendente dalle stagioni, dai temperamenti e da disposizioni individuali. Per la qual cosa il vajuolo ed il preteso *varioloide* sono cosa identica, e debbono essere indicati sotto un solo e medesimo nome di vajuolo, dal quale il vaccino preserva sicuramente ».

Ibidem etiam confirmatur illos, qui jam vaccinam regulariter perpessi sunt, aliquando exanthema sub variolarum specie habere, quod vero ex periodorum successione, pustularum forma

ne duratione, totiusque morbi decursu *varicellam* esse procul dubio argumentatur. Varicella, additur, interdum prodit gravibus comitata symptomatibus, et post se relinquit cutis foveas plus minusve duraturas, qua de causa inexperti in errorem incidunt, et varicellas a veris variolis distinguere nesciunt.

Hisce positis, nemo non videt nos adhuc observationes de *variolis mitigatis* desiderari tanti ponderis, quanti necesse est ut inter medicos non amplius dubia earumdem existentia sit.

Venerandos etenim clinicorum codices non novitatum cupiditas, aut concinnandi voluntas, sed potius recta observandi ratio, et veritatis amor construant atque opitulantur.

Ea ratione, qua observationibus Thomson, Moura, Adams, Willan, et Smith, eas opponere possumus Foderé, Dubois, Barey, Serres et Boucher qui variolas mitigatas dari negant, ita demum contra quorumdam medicorum experimenta circa variolas mitigatas, vel uti dicunt *varioloidem*, nonnulla dicenda habemus.

In primis animadvertam nil certi ab experimentis nos inferre posse antequam omnibus compertum sit ex quonam morbo materies pro iis instituendis hausta sit, vel quommodo morbus inde originem ducens, ab aliis morbis aperte dignoscatur.

Ex dictis vero patet summam adhuc de hisce omnibus adesse dubitationem, et nondum experimentis integram adhibendam esse fidem.

Quapropter facile intelligitur, si scripta consulimus, cur tam differant inter se iuntionum effectus, quam distent loci, ubi qui experiuntur, vitam agunt.

Huc nempe inserendo *varioloidem* variolam veram obtinuisse dicitur: illuc nonquam hoc evenisse concedunt: adest qui vaccinae pustulas ex ejusdem inoculatione enatas se vidisse affirmat: qui variolas modificatas vel *varioloidem* originem habere a mixtione puris vaccinae et variolae verae docet: sunt denique qui modo hoc, modo illud exanthema ex iisdem experimentis procreatum observasse candide fatentur.

Meam concludam ergo oratiunculam, uti mihi proposui, dicendo in votis esse observationes omnes, et experimenta quaecumque de variolis vaccinis, deque mitigatis, aut denique de quocumque morbo variolosam speciem praeseferente in posterum non publici juris sint, nee pro veris accipiantur et medicinae studiosis jure ac merito inserviant, nisi prius a Jatricorum Collegiis justa lance perpendantur, summque pondus iisdem sancte tribuant.

Publica Hygea, scientiae honor, parentum et natorum securitas hoc suadent atque efflagitant!

THESES DEFENDENDAE

I.

Nosologiae recta observandi et morborum describendi ratio tam opem fert, quam cujuscumque generis symptomatum nimium studium et eorumdem causarum praepostera excogitatio detrimentum infert.

II.

Exanthematum doctrina quae apud antiquos fere nulla erat, apud Neotericos nimis subtili partitione peccat.

III.

Quamvis exanthemata externam corporis superficiem petant, illa tamen relata ad causam et generales effectus, non chirurgiae, sed pathologiae internae partem constituunt.

IV.

Venenata pharmacorum principia morborum symptomata saepe non tollunt, sed abscondunt atque mutant.

